

facto veritas non manet; quod sine peccato esse non potest: & ideo nullo modo veritas propter scandalum passivum alterius dimittenda est.

Ad primum ergo dicendum, quod iustitiae actus est reddere unicuique quod suum est. Dupliciter autem redditur unicuique quod suum est. Uno modo quando datur ei illud quod sibi directe utile est, ut pecunia, vel aliquid huiusmodi, quod sibi sine peccato denegari non potest: unde quantumcumque scandalum debeat sequi, iudex debet facere quod ius suum isti reddatur. Alio modo quando opus iustitiae, quod ad petitionem alicujus redditur, non directe cedit in bonum petentis, sed magis in bonum Reipublicae, sicut patet in illatione poenarum, quibus pax in Republica conservatur malefactoribus repressis: unde si iudex qui curam Reipublicae gerit, videt ex inflictione poenae majus incommodum Reipublicae provenire, potest poenam vel praetermittere, vel mitigare. Nec alicui in hoc facit injuriam: quia ipse personam Reipublicae gerit; & hoc etiam facere debet, quia ex officio tenetur utilitati publicae providere. Hoc autem contingit praecipue quando Princeps, vel aliqua multitudo est in causa, aut aliquis de cujus poena timetur ne schisma sequatur: & ideo dicit Augustinus quod cum multitudine peccantium agendum est magis monendo quam minando; sed severitas exercenda est in peccato paucorum. Sed hoc intelligendum est, quando ex dissimulatione peccati Principis, vel etiam multitudinis majus periculum non timetur quam ex poena. Unde si ex impunitate Principis, vel multitudinis, fides, & doctrinae veritas, & boni mores corrumpantur, non parcendum est Principi, nec multitudini; quod praecipue contingit quando peccantes suum peccatum auctoritate, aut potestate defendere moluntur. Unde Isidorus dicit, & refertur in Decret. dist. 1. cap. *Domino sancto* ex ejus epist. ad Massanum, vel Massenam, aut Massianum. *Hi qui neque a vitio (2) corruptionis emendantur, atque hoc ipsum delictum quod committunt, vendicare quadam superstitiosa (3) auctoritate nituntur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiant communionis.*

Ad secundum dicendum, quod homo aliquod peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur, nec bene facit committendo: quia ad vitandum peccatum non inclinamur principaliter ex damno proprio, quia hoc esset desistere a peccato timore poenae; sed inclinamur ne Deum offendamus, cujus offensa est etiam veniale peccatum, quamvis non ita magna sicut mortale. Nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendat multum: quia homo debet in infinitum plus diligere Deum quam proximum: & ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum scandalum, dummodo actus suus ex tali causa factus peccatum veniale remaneat. Est enim oppositio in adjecto, si dicatur quod aliquis debet peccare, aut bene facit peccando. Contingit tamen aliquem actum ex tali causa factum non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset, sicut dicere verbum otiosum: jam enim non esset otiosum, cum non careret causa pie utilitatis.

Ad tertium dicendum, quod in doctrina est considerare duo, scilicet actum docentis, & rem quae docetur. Actus autem docentis pertinet ad veritatem vitae, sicut & alius actus misericordiae: quia doctrina est eleemosyna spiritualis, ut supra dist. xv. quaest. 11. art. 3. quaestione. 2. in corp. dictum est: unde de ea est idem iudicium, & de aliis actibus misericordiae, de quibus post dicitur, quod aliquando propter scandalum differri possunt. Sed res ipsa quae docetur, est quae pertinet ad veritatem doctrinae: nec veritas doctrinae praetermittitur quando aliqua res vera tacetur, sed quando veritati illius rei praedictum generatur sive ex contraria doctrina, sive ex taciturnitate aliquorum: & sic propter nullum scandalum est veritas doctrinae relinquenda.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod omnia opera perfectionis quae non sunt in praecipio, consilia dicuntur; unde praetermitti possunt salva triplici veritate: sed aliquando cadunt sub praecipio vel ex voto, vel ex aliqua alia circumstantia; & tunc praetermitti non possunt sine praedictio veritatis vitae: & sic de eis non loquimur, sed solum quando manet in potestate nostra facere ea, vel non facere. Sic ergo loquendo distinguendum est in scandalo passivo: quia quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur, & alios turbant propter opera lucis, quasi filii tenebrarum; & hoc est scandalum Phariseorum, ut Bernardus dicit, tract. de praec. & dispensat. cap. 1x. & propter hoc scandalum passivum nullo modo consilia sunt dimittenda: quia sic iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde Dominus dixit de Phariseis, qui ex malitia scandalizabantur ex factis, & dictis ejus Matth. xv. 14. *Sinite illos: caeci sunt, & duces caecorum.* Quandoque autem oritur ex ignorantia, vel infirmitate; & hoc dicitur secundum Bernardum scandalum pusillorum, qui non cognoscunt veritatem, & propter hoc de operibus veritatis turbantur; & hoc scandalum cavet Dominus Matth. xvii. 26. ubi dixit Petro: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare etc.* & cavere docuit Matth. xviii. unde propter tale scandalum passivum consilia sunt ad tempus intermittenda, vel occulte agenda, non autem omnino dimittenda: quia homo plus sibi quam proximis in spiritualibus providere debet; & ignorantia si diu duret, in malitiam per obstinationem commutatur. Tamen attendenda est quantitas scandali, & boni quod contingit ex consilio servato: & secundum hoc aliquando consilia sunt praetermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum contemnendum propter consilia.

Ad primum ergo dicendum, quod ad veritatem vitae pertinent non solum illa quae sunt de necessitate salutis, sed etiam ea quae sunt de perfectione salutis; unde quamvis omissis consiliis salvetur aliquo modo veritas vitae, non tamen perfectio veritatis vitae: unde verbum Hieronymi magis referendum est ad indifferentiam ex genere suo quam ad consilia.

Ad secundum dicendum, quod in eo qui religionem vult intrare, distinguendum est. Quia aut sibi timet de periculo salutis imminente, si in saeculo remaneat; & tunc debet omnibus modis obviare periculo vitae, scandalo non obstante. Si autem non imminet, & voto non obligatur, debet pro vitando justo scandalo parentum, quibus subvenire tenetur, ad tempus suspendere propositum perfectionis, ut praecipuum impleat pro suo tempore de honorandis parentibus, & postmodum consilium tempore magis idoneo. Si autem scandalum propinquorum, vel aliorum sit irrationabile, jam accedit ad scandalum Phariseorum: unde tunc propter scandalum non debet praetermittere bonum propositum. Sed si voto obligatus sit, jam

(2) Al. correctionis. (3) Nicolajus temeritate.

de consilio factum est praecipuum; & ideo nullo modo propter scandalum dimittere debet: quia hoc esset praedictio veritatis vitae.

Ad tertium dicendum, quod opera misericordiae, sicut & consilia, sunt ad tempus suspendenda propter scandalum pusillorum, nisi in illo casu in quo cadunt sub praecipio, sive sint eleemosynae spirituales, sive corporales: quia tunc non possunt omitti salva veritate vitae.

Ad quartum dicendum, quod illa diffinitio datur de scandalo activo: quo remoto etiam propter passivum interdum est opus bonum dimittendum, vel etiam suspendendum.

Ad quintum dicendum, quod Hieronymus loquitur de scandalo propinquorum irrationabili.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod abdicere temporalia, vel dimittere contingit dupliciter. Uno modo cum quis dat quod penes se habet; alio modo cum non repetit quae sibi debentur: & de istis duobus fere est idem iudicium.

Sciendum ergo est, quod aliquando aliquis non datur rem suam alteri scandalizat active, vel quia dare tenetur, vel quia malo modo denegat; & sic nulli licet retinere quae possidet cum scandalo activo. Aliquando vero sequitur scandalum passivum ex hoc quod aliquis rem temporalem non donat; & in hoc distinguendum est. Quia quandoque non potest dare sine peccato, vel quia scit illum cui dat, usurum re dare in malos usus, vel quia non potest dare rem temporalem uni sine praedictio alterius, sicut se illi qui gerunt alicujus communitatis curam, dent aliqua ex quorum subtractione fiat pejor conditio illius communitatis; & tunc non debet dare temporalem rem propter scandalum vitandum, quia hoc esset facere contra veritatem iustitiae, aut vitae. Quandoque autem potest dare sine peccato; & tunc in scandalo passivo distinguendum est. Quia quandoque procedit ex malitia; & tunc non tenetur homo rem suam dare malitiose petenti; alias non remaneret locus utendi re sua, & sic periret bonum commune: potest tamen dare quasi ex consilio, non quasi ex praecipio; nisi forte crederetur quod ex datione ille efficeretur deterior; puta, si ex hoc provocaretur ad alias malitiose petendum, & inquietandum (4) per huiusmodi petitiones alios: tunc enim peccaret dando. Quandoque autem scandalum passivum procedit ex ignorantia; & tunc potest dare quasi ex consilio, sed non tenetur quasi ex praecipio: quia potest petentem repellere instruendo eum; & hoc quandoque magis prodesset, quando scilicet esset talis ignorantia quae vergeret in praedictio veritatis doctrinae, quam si daretur res temporalis: quia per hoc ille in suo errore foveretur, sicut patet de hereticis illis qui dicunt, quod quilibet debet bona sua pauperibus dare petentibus, etiam extra casum necessitatis extremae. Similiter etiam de repetitione suorum dicendum est: quia nullus debet scandalum activum committere rem temporalem repetendo, neque petendo quae non ei debentur, neque inordinate petendo in iudicio, aut extra iudicium. Sed de justa repetitione rerum temporalium propter scandalum passivum vitandum dimittenda, est distinguendum. Quia quandoque licite non potest dimittere quin repetat sine praedictio alterius, ut cum quis gerit curam rei alienae, sive communitatis, sive

In IV. Sent. Tom. V.

(4) Nicolai: per huiusmodi petitiones, alias enim etc. (5) Nicolajus addit dicens. (6) Al. in casibus. (71)

alicujus privatae personae; & tunc peccaret desistendo a petitione, nisi de consensu illius cujus curam gerere debet, aut nisi timeret majus periculum imminere quam sit damnum illius rei. Quandoque autem potest dimittere repetitionem sine praedictio alieno; & tunc si scandalum passivum procedat ex malitia, non tenetur propter scandalum tale dimittere suae rei repetitionem; alias daretur materia rapiendi, & tolleretur iustitiae bonum. Potest tamen licite dimittere repetitionem ad vitandum tale scandalum, nisi ex tali dimissione credatur detinens rem injuste, fieri deterior, aut de tali peccato non corrigi alio modo. Unde Gregorius dicit Lib. XXXI. Moral. cap. viii. super illud Job xxxix. *Frustra laboravit.* „Quidam, dum res temporales rapiunt solummodo, sunt tolerandi; quidam vero servata charitate sunt prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant.“ Si autem scandalum passivum procedat ex infirmitate, vel ignorantia, debet differre suae rei repetitionem, vel eum inducere quod non scandalizetur. Quod si adhuc scandalizatur, jam per obstinationem malitiosus efficitur: & ideo simile est iudicium de tali scandalo, & de illo quod ex malitia oritur.

Quidam tamen dicunt, quod imperfectis licet in iudicio repetere sua cum scandalo, non autem perfectis. Sed hoc nihil est: quia si loquantur de perfectis quantum ad statum perfectionis, idem est iudicium de eis, & de aliis, nisi quatenus ex voto obligantur ad non habendum proprium: unde monachus in iudicio eodem jure potest petere res temporales nomine capituli, sicut saecularis nomine sui. Si autem loquantur de perfectis secundum statum charitatis, sic ipsa perfectio charitatis inducit eos ad servandum consilia, non quod ea facere teneantur: nec peccarent, si non facerent; sed in hoc perfectioni eorum aliquod praedictio fieret; & sic intelligitur Glossa illa I. Corinth. vi. super illud: *Quare non magis fraudem patimini?* (5) „Perfectis licet repetere sua simpliciter, scilicet sine causa, sine lite, sine iudicio; sed non convenit eis movere causam ante iudicem.“ Non enim potest hoc intelligi de perfectis quoad statum, sicut sunt religiosi, quia tales non habent proprium: unde nihil esset dictum, quod sua possent repetere simpliciter. Illa autem quae habent in communi, sunt capituli, vel pauperum: unde possunt ea repetere in iudicio, quia tunc gerunt curam rei alienae. Quod ergo dicitur in Glossa, intelligendum est secundum gradum charitatis: licet enim in iudicio repetendo sua, non peccent, tamen perfectioni eorum derogatur: unde Glossa non dicit, quod talibus non liceat, sed quod eis non conveniat.

Sciendum tamen, quod perfectis etiam illo modo licet repetere sua, & contendere in iudicio, etiam sine detrimento suae perfectionis (6) in quinque casibus. Primus est, quando oritur quaestio de re spirituali: unde Act. xv. cum orta esset quaestio de observatione legalium, Paulus detulit ad iudicium Apostolorum, Galat. ii. propter quosdam falsos fratres &c. Secundus, quando oritur quaestio de eo quod potest vergere in detrimentum rei spiritualis: unde Act. xxv. Paulus appellavit Caesarem pro liberatione sua, quia per ejus mortem impediatur fructus praedicationis; ipse tamen quantum in se erat, cupiebat dissolvi, & esse cum Christo: Philip. i. Tertius, quando est contentio de eo quod vergit in temporale damnum alterius, & maxime pauperum. Eccii. xxxiv. 24. *Qui of-*

